
V
B
J
C

FRAGRANS ODOR

IN AMÆNO VIRTVTVM FLORE, PERPETVO MERITORVM VIGORE,

NEC NON

Rectefactorum Immarcescibili RADICE,

EXIMIO & ADMODVM R. PATRE MAGISTRO

NARCISSO POTOCKI,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE, ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VIGILANTISSIMO CONVENTUS BRESTENSIS PRIORE,

Ab innumeris annorum ſpatijs intra Viridarium Sacræ AVGVSTINIANÆ VINEÆ Mirâ Magnitudinis Svaveolentiâ

REDOLENS.

Tandem

Ab A. R. P. INNOCENTIO BALICKI Ejuſdem ORDINIS, STVDII VARSAVIENSIS MAGISTRO REGENTE ac PROVINCIÆ VISITATORE.

In Nomine SOLEATÆ CRVCIS

Ad Olfactum Vniverſi

Sub Auram nocivæ mortalitatis

DIFFVSVS.


ac Selectis Theologicis Theſibus,

PER COMITIA PROVINCIALIA BRESTENSIA.

APPROBATVS.


Suſtinente adverſantium Argumentorum vim V. P. Chriſoſtomo Piotrowski, Theologo abſoluto.

ANNO quô Odoratus eſt Dñus Odorem VICTIMÆ CRVCIS 1709. *Menſis Aprilis Die* 21.




ZAMOSCIJ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA AVGVSTINIANO-POTOCCIVM.



Ignes cuiq; CRVCI mos est apponere Sacros,
Quos donant votô, pectora Sancta piô,
Hinc careat propria, ne CRVX POTOCCIA, lucẽ,
COR SACRVM, flammas donat ab intra suas,
Ad quas; dùm SOLEÆ vestiggia celsa videntur,
Posteritas Librô connotat illa suô.



FRAGRANS NARCISSI ODOR.

POst exspirium vitæ spiraculo insidiantis mortalitatis, non revereberis candore animatam appropiare paginam, quam *fragrans Virtutis & Meriti* præit Odor. EXIMIE ET ADMODVM REVERENDE PATER MAGISTER PRIOR. Fateor, plusquàm metu formidandum esset, audaciùs per paginam meum Tibi communicari affectum, satiusq; foret in imis propensi Cordis penetralibus eundem residere, ne fors per ultroneam in Te candoris excursionem, nova disaffectus eveniat infectio. Plusquam timore metuendum esset, ne per attactum amplexùs favorabilis, cordatæ propensionis contrahatur debilitas, quâ prævia è medio TIBI favorabilium nocuè tolleretur *Innocentius*. At quæ Vulcania, non plùs delectabili quam penetrabili cudit postes affectui? cui & Ipse expers terminij Author Naturæ terminales non jecit colossos! Dicat elingves! si ora loquentium impossibilitatis stringit vinculum, monstret natura! & mox non tam prodigium, quàm fastidium naturæ imputabitur; efficiat omnium peritissimus Abarides! & illicò Phænix prudentiæ efficietur; probent controversiæ! & protinus odio contrariam inferent sibi amoris humani conclusionem. Sciant nihilominus quod tantò violentius affectus excutitur, quantò arctius cordi intercluditur; Ideoq; si inscius est obstaculi pectoris candor, non miraberis quod cordata pagina etiam timoris excludit obicem, & securiùs Tuæ advolvitur dexteræ Iam, jam move, pagina gressum, medellam benignitatis, non venenum repudij à NARCISSO acceptura

ceptura

ceptura. Si gradum sistis, *fragrans Virtutum* NARCISSI te allicit *Odor*. Si retardas, amæna *Meritorum Ejus* te invitat pulchritudo. Si non Te suffecturam meditaris, immarcescibilis Indolis NARCISSI vigor vigere Te faciet. Igitur appropia florido sermonis passu, si remotum affectu non vis Tibi fieri NARCISSVM. Aut potiùs time Tibi ac de alta humilitatis specula, NARCISSI magnitudinis percipias Odorem, ne candore Nominis rutilans NARCISSVS, insolitam fuliginis per Te contrahat notam. Eunt plerumque paginæ securius in appricum Vniversi, quæ non plus laudis quam fraudis, non plus celebritatis quam falsitatis, non plus Encomij quam veritatis martyrij, dant Numinibus & Nominibus; ob id ipsum non apprico Solis, at subterraneis destinandæ caliginib⁹. Prodeunt animosius in Orbis faciem, & illæ effrontes paginæ, quæ a magna indole ne minimum quoque ambiunt in se derivari honorem, id satis famæ habentes, si minimum Magnis tribuãt honoris, dishonorandæ vel ideo quod mutuo nullũ recipiãt. Evolãt alacrius pẽnis arogantiæ sublatæ paginæ quæ nõ ẽcomisati, sed ẽcomisatis quærũt elogia digna, vel ex hoc vituperãdæ, quia laudis expetẽtes. Verũ quæ expers est authoris fraudulẽti Ismæniæ, nec ñ astutioris Pysistrati, non fraudes, sed laudes, ñ falsitatem, sed celebritatem, non veritatis martyria, sed digna Encomia summis minitatur Nominibus, sicq; ne aliquid ejusmodi committat erroris, errabunda quasi dubitat, ancepsq; hæret manibus appropiare dicata. Eô fundamentô: non plus floridò elogij repleta sermone, quam æternùm revirentis affectûs cumulata propensione, ocyus properans sternit, velocius accelerans tardat mea pagina, nonque prius manibus & oculis, sed pectoris & benignæ Tuæ, o NARCISSE! vult subijci acceptioni, ne Tuis destinata encomisandis facinoribus, quærat propria, neve magis cælo dignas ambiat ornare virtutes, quam à Tuis ornari Virtutibus. Sed ultra suspicionem novit Orbis, nihil unquam proprium fuisse Oratoribus, Encomiastis, Præconibus, Summialistis, quod simul non videretur esse TVVM, ut juremerito sublimis Sapientiæ, Divis similandæ virtutis, eminentialis magnitudinis, (qui nunc NARCISSVS es) sæpè Florum dicereris. Crediderim, ægrò quondam cæteros Divos id tulisse oculô, dum TE summus Iupiter

in

in tutelam providæ nascentiũ matris Lucinæ, è sinu fermè proprio totum planè cælestem dederat terris: Crediderim invidisse miserè, faustæ felicitati Tuæ Vniversum mortalium genus, dum scilicet inter infinita hominum millia, Tu quasi Solus non homo: inter innumeros rationalium cætus, quasi solus rationabilior perennans, eminentia virtutis, prærogativa Meritorum, Magnitudine Recte factorum, Primus Primasque: in Singulis cum singulis adæquatus, à singulis, ne in unico quidem adæquandus: Par Magnis & Nobilibus, ultra Maximos & Nobilissimos, Major & Nobilior supereminens: Crediderim, tunc attonitam obstupuisse naturam, dum animadverteret nihil in TE reperiri, quod intra naturæ limites reperiri deberet; cuncta disposita fuisse quæ supernaturale concernerent. Mensuram hinc cape Orbis! & vide!, ne aliorum decrescat fama, NARCISSI postulat augeri magnitudine, *Cum Lemmate: Communicabit petentibus*. cernito! quidquid initio dictum, quòd laudis non sit dignum conclusione? Agnoscito! quidquid sub ænigmate intimatum, quod in corde omnium NARCISSO exaratum non thesauriset affectum? Si liceret semel NOMINI TVO dicatam repetere paginam, millena Supremis Numinibus repeterem vota, prono rogans de poplite, ut e triclinio Sapientis Pallados bene cerebratus promovendo TVI ulterius destinaretur Honori. Offerrem Sicelidum Deæ meam submissionis victimam, ut ad sacrificandum Gentilitiæ Tuæ Soleatæ CRVCI, è medio sui, mediam, Sapientiam & prudentiam inter eligeret Deam. Invotarem centeni Sacrificij hecatomben cælorum ac inferi Præsidibus, si me Tuis imparem laudibus, laude procul revocarent ab illis; siquidem incipiens finio: enuncians reticeo: progrediens sisto. Quæ plura dicam? dum dixi maxima! quæ digniora proferam? dum protuli dignissima! quæ præstantiora nuntiabo? dum nuntiavi præstantissima! si ultra maximos Major es, quæ Tibi desideratur perfectio? quæ ulterior honoris amplitudo? nisi hæc: ut totus qua latè patet Orbis, *fragranti Virtutum & Meritorum* NARCISSI illectus *odore*, ab imo cordis summam in Te adoret magnitudinem. Quam & ego adoraturus, sub Nomine Gentilitiæ *Soleatæ Crucis* Tuo militabo NOMINI. Permittes tantummodo si stertens pagina,

subli-

sublimibus Nominis Tui elevata Virtutibus, Meritis & prærogativis, à primo ad ultimum usq; honoris gradum, fidele famulat? præstabit sequito; parces audacitati, si in TE NARCISSO, nihil non floridum, in TE Flore, nihil non fructosum, in TE fructu, nihil non redolenti fragrans Odore, deducere conabitur. Propensi Cordis judex affectus coget stare promissis, sub vadio interposito: ut si verùm TE NARCISSVM flore & Odore pagina non deduxetir, Author paginæ in perpetuos disaffectus Tui Carceres deducatur.

Nunc jam sublimius assurge penna, Ne contra naturam stertas humilius? Tuum est in suprema quæquæ avolare, ima despiciendo? Tuum est attingere celsa, humilia transgrediendo. Assurgito penna! memineris quæ Rectefactorum NARCISSI Orbi sit memoria! *Cum Lemmate*: *Quasi perennaturus.* Conijcito quæ summialistarum de NARCISSO Conjecturarunt genia! *Cum Lemmate*: *Non revelata parvulis.* Assurge penna! & reverearis, ne in momenta sublimibus NARCISSVS intendens fastigijs, in imis Te derelinquat, cui famulatus honorifici æternum dedicasti sequito, *Cum Lemmate*: *Cave ne deficias.* NARCISSI est sursum crescere: Floris est Solem respicere. Caveto penna, ne *fragrans Odor Virtutum* NARCISSI cælum usque redolens in altum, (qui pridem à Cælitibus desideratur) in Odorem Supremo assumatur Iovi, *Cū Lemmate*: *Non alteri digniori.* Sed quæ condigna plusquam Dignissimo Nomini Tuo extollēdi materies? quæ accōmodata nō ullis accomodanda rationibus Magnificentiæ Tuæ enarratio? nisi cujuspiam Divini præconis Thaltybij aut Achiæ, quæ necdū sufficeret, nisi divinitus ordinaretur. Mirum nōn pariat. Vt pote nihil non floridum Tibi debetur sermonis, qui NARCISSVS es; adeò ut quotquot Orbis numerat Oratores, quotquot Tullios, quot fulminantes ab ore Pericles, tot Nomini TVO numeret fæudatarios. Alias quisquis ille Orator ad candorem NARCISSI, promovendis illius honoris laudibus non impallesceret, marcescibilia infamiæ habeatur Zizania neutiquam flos virentis gloriæ. At sileant etiam quos semper ore loquaci natura reliquit! ne utiquam arescens ob id reddetur gloria NARCISSI. *Grandis lingva, & Confessio nunquam vocalius loquitur quam cum silet.* Erunt NARCISSO

quæ

quæ etiam obmutescentibus aliorum lingvis, ore pleno loquētur magnalia Ejus, *Cum Lemmate*: *Virtus ipsa sibi pretium*; Erunt NARCISSO quæ desinentibus præconibus indesinentē pariant gloriam. *Cum Lemmate*: *Semper vota supersunt*; Sicq; NARCISSVS continuò in flore existet honoris. *Nulla proclivior à Naturalistis floris infertur annihilatio, quam si humido destituatur vigore.* Non jam miramur in Te NARCISSO æviternum boni Nominis virorem, quia POTOCCIVS es: quasi torrens per virtutes & Merita sibi ad virorem & Vigorem; Torrens & alijs per gratias ad affectum & amorem; ex utroq; tamen POTOCCIVS. Non Phæaci scæptra tenens Alcinous hominum oculis & appetitui monstret hortorum floralia; vel ideò non florida, quia vigorem in tempore amisere. Non Hesperides avrifera jactitent viridaria, vel ideò non viridia, quia tandem marcida interiere; vel ideò non aurifera, quia diuturnitatis mole quasi plumbo gravata evanuere. Quinimo si Hesperides & Alcinous sua præsentarent pesta, quænam principalia assignarent? si rosas, rosa impatiens æstus: si lilium, Lilium tarda cælos ambit facie: si Hyacinthum, hæc per aspera hyemis actuatur. At NARCISSO quæ adscribetur impotentia? quis defectus annotabitur? nisi ab illo qui impotens ratione dicitur, aut mente defectuosus. Exulta Sacra *AVGVSTINI Vinea*! parte meliore Tui super astra feraris! quæ intra Tui viridarium, amænum virtutibus, virentem meritis, redolentem Sapientiâ plantasti NARCISSVM. Iustum reputo, ut nostrum omnium cælesti plantatori & Hortulano, ex odoriferis votorum supplicum floribus, æviternam gratitudinis plices coronam: qui nempe Cælestis Plantator cæteras Ordinum Vineas non minori destituit honoris fructu, dum Eisdem non destinavit NARCISSVM; Te unicam maximis famæ ditavit proventibus, quod *ad olfactum Vniversi* Tui visceribus implantavit Eundem. O Secreta Deitatis! o stupenda mysteria! quod corde tantisper velabam, jam subito reserabo cunctis: Non alia fæcundior NARCISSO debebatur Vinea, præterquā AVGVSTINI! qui plantatis à se floribus (Sacram Ejus intelligo familiam) in Conversione sua, copiosum lachrymarum reliquit imbrem ad irrigandum Nominis AVGVSTINIANI Virorem. Non alius commodior NARCISSO videbatur

B batur

batur hortus, præterquam *AVGVSTINI*, qui a Sole Iustitiæ derivatos in pectus sui Sacratissimum Amoris Divini radios, succrescentibus in honorem Majestatis Divinæ suæ Familiæ ramulis communicat calorem. Non aliud fœcundius NARCISSO suadebatur Viretum, præterquam AVGVSTINI! qui nocivis eradicandis (rebellionis in DEVM) assuetus zizaniis, sola fructuosa Divinæ laudis plantabat roseta. O Divinam in NARCISSO præscientiam! O notatam cælitus in NARCISSO perfectionem! Cur supræma Numina NARCISSVM non fecere rosam? Suspexêre procul dubio, in Viridario Sacræ AVGVSTINIANÆ Vineæ, Solis & Lunæ æstus NARCISSVM debere perpeti, rosam esse impatientem unius. Cur Alti Cælites NARCISSVM non destinavêre Lilium? côclusêre nihilo certius, antipaticam NARCISSI in Lilio reddi Naturam, & voluêre ut si citâ & tardâ cælum ambire facie, inter lilium & NARCISSVM antipaticum est, in utroque simpaticum non videretur. Cur judiciosi terrarum Definitores NARCISSVM non statuêre Hyacinthum? intulêre, Magnis assuetam NARCISSI Indolem, asperitatis & sævitiæ non indigere stimulo, jam verò sine aspero brumæ rigore Hyacinthum non actuari. Noscat nunc Princeps & Rector hortorum Epicurus: Cernat sagax eorundem cultor Adonides Assyrius, nihil sibi novum antè fuisse, quod in NARCISSO non videretur antiquum. Videat non aliquid sibi annotari æstimabile, quod NARCISSO non sit quotidianum. Satius, plus quam narranda narret sæculis, tempus excedentia nuntiet temporibus, relinquat posteritati primam non posteram sibi usurpantia laudem; ea nempe: quæ rosæ, lilio, & hyacintho, hæc unico debentur NARCISSO. Si rosæ purpureus rubor, si lilio niveus Candor, si hyacintho viridi rubicundus inest color, ex his trinis divisis, quid in NARCISSO non videatur compendiatum? quid non unitum? Videre est in Eo à primis etiam incunabulis, plusquam Virginalis verecundiæ decoloratũ rubore, quem Purpurato sangvinis proprij colore, Regi Regum, ad ultimum usq; mortis pallorem consecravit. Videre est Lilio nitidiorem delicatæ conscientiæ NARCISSI candorem, quem penes, Germanus sangvine tantisper eminet CANDIDVS POTOCCIVS. Videre est in NARCISSO virorem permistum

rubori

rubori, qui non plus virescentibus quàm instantaneè revirescentibus incumbens Doctrinæ laboribus, sangvinei sudoris suffunditur rubore. Nunc dum Tuæ Vineæ (Sacra AVGVSTINI Familia) NARCISSO arrident viscera, Florem hunc cui facies crescere Regioni? cujus Hortulam providæ subijcies culturæ! Ast quid quærito, dabitur terra NARCSSO. Placuit tunc Rmo Patri Mgro HIERONYMO VALVASORIO Vineæ AVGVSTINI GENERALI RECTORI, ut NARCISSVS ad Montes Vavellanos (in Conventu nẽpe Cracoviensi) veluti novellus AVGVSTINO Flos, non tam probationis quàm probitatis dedisset specimen. Profiteor! non aliud côgruentius evenire potuerat, id præter: quod penes Florum omnis Scientiæ (Almam Academiam) Flos hic situaretur. Non aliâ temporis differentia veriùs Academia Florum Scientiæ dicebatur, quam dum omnis odore scibilis redolens NARCISSVS, in ejusdem confinio poneretur. Non crevit NARCISSVS directivis in latus levitatis ramulis, at totus Erectus ad alta virtutis nitebatur. Expers erat fœdatæ Conscientiæ rubiginis, (quanquam flori cuipiam vix est evitabilis rubigo) ut suo NARCISSI quadraret Nomini. Vidit *Dobrodzieyscius* Prior Conventus ejusdem, quanta in dies augmentabatur virtus NARCISSI, qui ultra Majum recenti in Menses florebat probitatis virore. Ac tandem post Annum plantationis suæ, opimô constantiæ fructu, mira Sanctitatis svaviolentia NARCISSVS exuberans inventus, voto juramenti DEO & AVGVSTINO in Odorem consecratur svavitatis *Cum Lemmate*: *Nil fragrantius DEO*. Conclude nũc Sacra AVGVSTINI Vinea, qualia & quanta vigentis gloriæ à NARCISSO sperantur floralia, qui vix plantatus, & jam fructus affert innumeros, Vix crescere volitus, & jam in summum excrescit gloriæ Culmen. Commentuosis si fas est credere Poëtarum descriptionibus, Divinior Pallas pro æviterna Iovis Majestati assistentia, à summo cælorũ Præside eo dotata respectu, ut *Narcissus* in honorẽ Pallados fragrantes redoleret odores; hinc exorta *Narcissi Symbolistarũ inscriptio: Olfactui Pallados*. At minora sunt hæc, respectu grandiorũ, verosimilia, respectu veriorum. Vltra figmentum vera loquor: In vim momentaneæ, sæpiùs elevatæ in DEVM mẽtis NARCISSI assistentiæ, in tantũ NARCISSus

excre-

exercevit honoris gradum, ut non jam olfactui Divinioris Pallados, ast ipsiusmet Divinissimæ TRIADOS sempiternum deliciarum concluderetur thymiamma, *Cum Lemmate: A Sanctis ad Sanctiora.* Iam NARCISSE sat superq; floridum, in flore virtutis, virentem virore Indolis, feracem sanctimoniæ fæcunditate, Tuum præbuisti animum. Appropia celerius spinis Philosophicis, & si pungentibus ejus non suffocaberis aculeis, ultra florē flos reputaberis. Cavendū profectò, prudentiusque agendum, quotquot enim acuminosa Philosophiæ Te circumsepient dilemmata, tot lacerantes Novellum NARCISSI Genium obvenient aculei: quotquot diffugia rationabilia, tot media NARCISSI extingvibilia. Noverint nihilominus Philosophiæ aculei, non plus NARCISSVM atterere, quàm à NARCISSO atteri posse: Qui si in communicandis Scientijs prudentiâ floridus est, in expugnandis oppugnantibus, subtilitate acuminis totus spinosus. O stupendam in redivivo Salomone scientiam! o venerandam in Regenerato sæculis AVGVSTINO subtilitatem! o describendam in renato Aristotele plus quàm speculationem. Mereris exinde ferro insculpenda Memnosyna, mereris infinitas laudum adoreas. Sciat posteritas quæ de NARCISSO suprema judicarunt Capita, audiat quæ dixerunt: *NARCISSE Suppar quære Tibi Genium humana non TE capit ratio.* O formidabilior non jam animi fortitudine, ast doctrinæ magnitudine Alexander! quem si unica non cæpit Macedonia, TE millena non capiunt Genia. Ergo cum Alexandro quæres Tibi aliud Regnum, ut ad horrorem Scientifici Nominis TVI regantur & dirigantur prudentiæ Reges. Subjicies, subjicies arietantibus instantijs munitissima quæq; rationum propugnacula, Expugnabis violentis argumentis subsumptis, vallata responsionum fortalitia. Ad ultimum! quid si ceu alter Alexander à nullo obsidendum, cōscendes subtilitatis altissimæ Bucephalum? Concluserim, quod nullum ratione non Acephalum reddes efficiesq; Subjugaverat quondam potentiori dexterâ Vniversum Alexander Orbem, videnſque nihil suæ posse resistere dexteritati, Novum sibi investigabat, & sciscitabatur. Tu si Vniversum Philosophicum Orbem incomparabili prudentiæ robore subdes subjugabisque, quem alterum indagabis? nisi fortè Theologicum. Et satius Divinis asvetam mentem terrenæ haud immorari fatuitati. Talem sibi petunt Divina Mysteria, qui depuratâ materialitatis crassitie, veloci penetrationis Spiritu assequatur eadem. Hujusmodi invitant Deitatis secreta, qui (licet inscrutabilia) mētis scrutiniò tanquam revelata habeat, teneatq; Talem TE dùm suprema quæque suspexere Nomina, conclusere: ut justo solus qui totus Divinus es, Divinæ Te dederes contemplandæ Theologiæ, etiam exindè florem gloriæ habiturus. Nunc timet sibi impenetrabilis Deitas, ne radix benè sensatæ rationis TVæ, intima quæq; penetret ejusdem; reveretur, ne Divinis mēs Tua irradicata secretis, excrescat ad ultimam usque cognitionē Attributorum DEI *quæ solùm distingui virtualiter* & ratione ratiocinata, inter se & à Natura, non verò formaliter ex natura rei, cùm omnes plausibili mente favorizent NARCISSO, in gremium etiam veniat & ipse Scotus. At jam res extra consilium, non jam pro post svadendum, ubi nunc agendum est. Quid juvat, si Princeps Roma, salvandæ captivitati, millenos conquirendi auri inveniat modos, si jam Annibal antè portas? sciat sibi id certum, quòd vix ferrum, nedùm aurum inveniri potest, ubi turma hostium vigil est urbis positum. Ab ænigmate, ad exaratam rei liceat devenire planitiem: Si hostis ignorantiæ verior potentiâ subtilitatis Annnibal NARCISSVS POTOCCIVS, vigili ad portas clandestinorum DEI secretorum excubat mente, in cassum omnigenæ artis & sciētiæ Domina plena Deitatis mysterijs sacra Theologia. NARCISSI subijci genio, timet & reveretur. Ergonè incomprehensibilis Deitas limitato NARCISSI comprehendetur geniò? Ergonè Vnius & Trini DEI Natura, Vnius solùm NARCISSI percipietur intellectu? Illimitatum vel ideò NARCISSI dicimus esse genium, quòd illimitatata, definitivis capacitatis, circumscribit limitibus; non jam unius sed trini oris dignum judicamus elogijs, qui Vnius simul & Trini DEI enunciat abscondita. Ex his inferam ego, si trans secreta, cuncta revellata habentur, nihilquè est, quod post commissum secretum, sit quasi secretum. Tu dum extra ultimum etiam Divinitatis secretū existis, quæ Tibi erunt abscondita quæ non enucleata? nisi illa, quæ cùm in tēpore non sint, nec esse valēt, nec fieri sperant. Plurimorū sæpè numerò, in medium excurrit, nō tā Controversia quam

C con-

controvertens dubitatio: ſit nè poſſibile ut ab intellectu creato, ſaltim lumine gloriæ confortato poſſit videri Deus? NARCISSVS *vix primô, oculô primam Theologiæ reſpexit paginam, & jam in lumine gloriæ, tanquam virtute ſupernaturali totali DEVM poſſe videri, fatetur & profitetur.* Diſputat plerūq; rationabilior diſceptantium ſermo de modo ſciendi futura: *NARCISSVS vix præliminarijs Theologiæ ſuam dirigit rationē, & jam efficit concluditq; futura contingentia abſoluta eſſe præſentia DEO ab æterno ſecundum exiſtentias reales & Phyſicas, quas in tempore habent, hancq; præſentiam eſſe neceſſariam ad hoc, ut ſcientia quam DEVS habet de illis, ſit intuitiva & invariabilis, non verò ut ſit certa & infallibilis.* Datur in multis anceps dubitatio, an abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata verò ex parte objecti reperiantur decreta in DEO, in quib⁹ certò & infallibiliter conditionata noſcantur eventura? NARCISSVS *vix decrevit abſolutè ex parte ſui digniſſimi ſubjecti, & cōditionatè ex parte nobiliſſimi Theologiæ objecti, ejuſdem incumbere lugubrationi, & jam decreta talia una cū cognoſcendis cōditionatis futuris decernit reperiri in DEO.* Innumeri errabundi quaſi cæcutiunt, lumen libertatis Divinorum actuum indagantes: NARCISSVS *vix liberam actuum ſuorum dominam Reginæ ſcientiarum ſubjugavit Theologiæ, & illico indifferentiæ volitionis indiviſibilis neceſſariæ ad varias denominationes oppoſitas penes ordinē addiverſa connotata extrinſeca, Divinorum actuum inniti libertatem, pro rato & explorato ab Auguſtinianis, æviternis mandat marmoribus.* Pervicaci animo inſiſtentes pleriq; velum ferme Thymantis oculatæ ſacrorum textuum injiciunt veritati, an potius eandem Zeuxidis adumbrant coloribus, quicunque Electionem prædeſtinatorum ad gloriam, negant eſſe gratuitam: NARCISSVS *Sacræ Scripturæ evidentibus innixus textibus, inſequitur veſtigia PATRIS ſui AVGVSTINI tanquam pro Aris & focis decertare paratus, non æquè ex prævisis meritis prædeſtinationem, ac reprobationem fieri ex demeritis.* Tam arduam & inexplicabilem quidā putant diſcriminis rationem, cur proceſſio SPIRITVS S. non ſit æquè bene generatio ac proceſſio VERBI, ut nonnulli cū Magiſtro non dubitent affirmare, ejus rationem in hac vita eſſe abſconditam: NARCISSVS *vix proceſſionē Spiritûs S. mu-*

nerum in benedictione Procedentis VERBI in ſe terminatam recepit, (unde eidem propria ferme Theologia reſultavit generatio) & ecce plus quam viator ejuſdem S. PATRIS 9. Trin: ca: 10. referens mentem: Eò Filius quò Verbum, & eò Verbum quò Filius; Angelicam diſcriminis infert Concluſionem, quod ſcilicet Proceſſio Verbi, eò quod ſit per intellectum, eſt generatio, non item Proceſſio Spiritus S. eò quod ſit per voluntatem. Nutant ſubtiles Theſei voluntq; è procella difficultatis ad portum fortunatæ cognitionis, hiſce ſolutionis eliberari remigijs, dum cum ſuo ſubtili Anteſignano tuentur: *dicere & intelligere (idemq; de velle & ſpirare) qui actus ſunt principia proxima Divinarum Proceſſionum, eſſe duos actus formaliter ex natura rei diſtinctos: NARCISSVS ſubtiliora de Trinitate ſcrutando arcana, indiſtinctim prædictos Actus Divinis convenire Proceſſionibus, communi fatetur Oraculo.* Et ſi hi Theologici in Vinea Auguſtiniana NARCISSI Odores, procul ſint ab humanis ſenſibus, qui naturæ fines non exeunt, nullum tamen Sacramentum ſecretius, & olfactu magis difficile, quam Sacroſancta Divini VERBI Incarnatio. Arcana Prophetarum Oracula & Scripturam textus myſterioſa ſenſuum multiplicate complicatos S. P. AVGVSTINVS ſplendidiſſimum Eccleſiæ Lumen 7. Conf: mox ut fidei fuit gratiâ illuſtratus, fatetur ſe noviſſe: atquid Sacramenti reconderet; VERBVM CARO FACTVM EST: nec ſuſpicari potuiſſe teſtatur. Myſterium hoc *vincens ſcientiam noſtram,* Iob Cap: 36. novit NARCISSVS, ſtatuitq; de illo Dogma: *ſuppoſito peccato & decreto reparandi hominē, tum ſatisfactione ad æqualitatem pro offenſa, quæ eſt ſimpliciter infinita; neceſſariam fuiſſe Incarnationem VERBI Divini, cujus ſatisfactio fuit actus rigoroſæ Juſtitiæ.* Heu quantis difficultatū nodis ſtringitur humana ratio in concilianda impeccabilitate cum Ejus libertate! NARCISSVS circa omnem difficultatem Delphico verior tripode, pleno ediſſerit oraculo: *Liberum fuiſſe, ſtantibus, impeccabilitate derivata proximè & formaliter ab infinita Sāctitate ſubſtantiali Humanitati Suæ unita, & ſtricto præcepto ſubeundi mortem.* Deviant pleriquc in momenta à recto certitudinis tramite, qui implicati incertitudinis Labyrintho, in Lege naturæ negāt vera fuiſſe Sacramenta; NARCISSVS *vix Sacramentis ſacram adhibet mentem, & ſtatim æ-*

ternæ Veritatis inscribit codicibus, tàm pro adultis, quàm prò parvulis in remedium Originalis & Actualis peccati in lege naturæ vera fuisse Sacramenta, non particulariter à DEO determinata, sed hominum relicta arbitrio. In varias multorum sententias abijt causalitas & vis Sacramentorum novæ Legis quibus NARCISSVS *dum astruit Physicam simulq; affirmat posse dici instrumenta moralia DEI respectu productionis gratiæ, quis negabit non conciliare diversas illorum Opiniones?* In Transubstantiatione Sacramentali pereunte substantia specierum, mirum quot non emanavêre dictamina rationis! NARCISSVS *tàm alto mysterio dum profundam applicat mentem: veriori illud videtur intimare definitione, asserens: non posse esse solum productionem novæ ubicationis internæ, neq; modi extensionis, quo CHRISTVS fiat de novo præsens & coextensus speciebus, neq; esse ullam formalem unionem corporis cum speciebus, sed esse actionem productivam totius Corporis CHRISti sub illis.* Mortificavit item impingvata controvertentijs genia, dum in eorundem remorsum, absq; remorsu suspiciosæ falsitatis evidêter NARCISSVS exaravit: *Merita per pœnitentiam mortificata, non reviviscere secundùm omnem gradum meriti, quem ante peccatum præhabuêre, ast juxta quantitatem præsentis dispositionis, per quam scilicet pœnitens resurgit.* Plura paucis complectendo, si in alijs aut verisimilia, aut quomodocunq; dubia de Theologicis videntur, NARCISSO non aliquid verisimile, quod non priùs verum, non aliquid dubium, quod non priùs sit determinatum. O fæcundiorem scientiæ florem! qui non multâ satis indigens doctrinæ culturâ, inæstimabilem Dijs & Orbi dedit scientiæ fructum, o florem plusquàm floribus anteponendum, qui principiantibus studij excultus primordijs, non ullis eradicanda in contrarium rationibus, jecit in alios doctrinæ semina. Vltra cætera dicere vellem, multùm placere Deitati, si NARCISSVS in contemplandis Divinis, svavivomo redoleat odore; sed minora sunt hæc: existimarê plùs placere, si à contemplandis ad attrectanda Divina se destinaret. Satis scilicet flos hic odoriferus, virtute, meritis, sapientiâ, redoluit Orbi, necesse est ut ipsiusmet DEI consecretur Aris. Tempus est, ut NARCISSVS à contemplabili DEI ad palpabilem ejus deveniat terminum. Ast etiam in tali termino,

sic

sic NARCISSVS digne suas ordinavit actiones, ut nihil reperiretur quod peculiari non deberet tangi elogio. Satis dicere est, quod immaculatus Agnus, qui pascitur inter lilia, dignæ pascuæ locum reperijt in NARCISSO. Summam hujus côcludere est, quòd sub Eucharisticis velatus speciebus, non alibi digniùs residebat Regum Coronator DEVS, quàm in liliata pectoris NARCISSI Majestate. Verùm post tot exantlatos labores, quos ad invidiam sæculorum usque, DEO & orbi præstitisti, Divinior AVGVSTINIANÆ Reipubl: Athlas, submitte Orbe majus Caput Tuum redimienti coronæ. Tolle sublimiùs pedem ad alta dignitatum fastigia, quò non jam cæcâ Viam monstrante Deâ, sed laureatâ, floridum iter palmis virentibus struente ibis scientiâ; En jàm Crasnost: Cathedra lumen veritatis à TE receptura in sui Te pertrahit sinum, quam cùm gestientibus summis Ejusdem Prælatis ascendisti, videbaris è suggesto fulminans ab ore Pericles, quibus eloquij Tui fulminibus, non jàm territa sed concita corda hominum, Te prodromo Duce, grata contritionis DEO fuêre victima. Stupebant attoniti non semel incolæ, ac verissimum zelantis Eliæ mirabantur Spiritum. Pendebat sæpiùs ab ore Tuo, intentus sermoni Apostolico *Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus STANISLAVS SWIęCICKI, EPISCOPVS Chelmensis*, qui Pastor Optimus suum ovile, juremeritò, sanctissimo Tuo reddi debere Regimini, summis nunciavit Regni Capitibus. Hinc Te ob ineffabilem vitæ sanctimoniam, ob inauditum Divini honoris zelandi rigorem, ab ipsis statim residentiæ TVÆ primordijs, intimum sibi fecit Achatem, nec non authenticum secretorum contentum. Nullâ tùnc *Illustrissimo PRÆSVLI* oblectabilior conversatio, cujus Assessor nô esset POTOCCIVS, nulla sapidior mensa, sub tempus cujus *Antistes Reverêdissimus*, Visione NARCISSI non satiaretur. Ipsi *Perillustres Cathedræ illius CANONICI*, honoris coronam sibi præripi invidebant, si unus præ alio, gratissimam POTOCCII in sui penetralia reciperet præsentiam. Dolent hucusque illius Cathedræ Sacri parietes, qui dùm à Tua Magnitudine, immensum olim mutuarentur honorem, illo tantisper gloriabantur, non jam parem ab alijs sibi pollicendo decorem. Indè ad Majora Sacræ Religionis vocatus Officia, qui Primus semper virtute

fuisti,

fuisti, Prior Witkoviensi destinaris regimini; dicat obligata
TVO Nomini Conventûs illius Familia, quem Te fuisse novit
Patrem an Priorem, qui in obeundis Divini Officij functio-
nibus Prior fuisti, in providendis filiorum opportunis, Pater &
Mecænas. Quantâ sollicitudine domesticos, quâ modestiæ
methodo extraneos, quâ morum & virtutis svavitate Benefa-
ctores, fovisti, meliorâsti, conciliâsti! In quibus ærumnarum
molestijs vix prominentes Ecclesiæ illius muros, ad eminentiã
perfectionis ultimam eduxisti, dissipatos hinc indè lateres evi-
scerato in id præmeditationis Tuæ cerebrô, calce veluti coadu-
nasti, diffusô ubertim sudoris liquidô alveo, coalescere fecisti.
Extrà veritatis colorem palam profitemur, illud Divinitatis sa-
crarium, Tuæ industriæ opulentis dotatum proventibus, ad
hanc usq; diẽ subsistere; verè Tu Author perfecti operis, qui uni-
co Prioratus spatio perfecisti, quæ in longioribus Prædecessorũ
Tuorũ antecedaneis lustris fieri nequibant. Si liceret cõcurrẽ-
tib⁹ ad id sumis Fũdatorib⁹ v. minimũ derogare honoris, exclusô
ab adjutrice illorum dextera fundationis titulo, Tibi Fũdatoris
nomen adscriberemus. Ast move ulterius gressum, jam Te Pa-
trem novit Vitkoviensis Familia. En iteratis vicibus advolu-
tus plantis, Te invitat sacer Crasnost: Cõventus; retorque pu-
pillam, quibus cruciatur cordolijs, qui sancitorum spoliatus le-
gibus, Tuâ vult investiri protectione, Te sibi petit vindicem,
Te quærit Patronum, Tuô prodromo Prioratu, meliora prio-
ribus, vult effici posteriora. Iam accelerat vindex justitiæ Re-
limonides, festinat amãs Boni Publici Cocles: Vixq; accelera-
vit, & subitò in adventu illius, quæ olim perierant Boni Pu-
blici commoda, advenere. Plusquam laudabiliter jam semi-
mortua, vivaci rigoris spiritu resuscitavit jura. Magnum tũc
vitæ subijsti dispendium, quandò salutis Publicæ intentus ne-
gotijs, propriæ non meministi. Summoperè id placuit *Illu-
strissimo Domino FELICIANO* POTOCKI, Palatino Siradi-
ensi Capitaneo Crasnostaviensi, ac post Castellano Cracovien-
si, Duci Exercituum Regni, qui videns Te luctantem sæpius
pro Bono Publico Fabium, ad recolligendas vires, in proprij
Cordis penetralibus fesso Tibi dedit quietem. Videre erat quo-
modò Vniversa Illustrissimi Palatini Aula a Tuo pendebat nu-

tu, videre erat quantum venerationis submissæ Tibi dabat ho-
magium, in Te Personam Illustrissimi venerãdo, simul quoq;
Tuâ in Illustrissimo Duce. Non proponimus omnibus antepo-
nenda in hacce Illustrima DOMO, Tua summa merita, quib⁹
elevatum laudationis cujuslibet stylum excessisti. Reticemus
prædicandam in benegerendis protunc magnitudinem; calcu-
lo non subijcimus, quos & quantos ibidem Poloniæ Proceres
& Dinastas victrice Tuo animo ad amandum subjugasti, ut
Tuo nutui cunctos concordantes, Tuæ petitioni omnes faci-
les haberes. Crearis tandem Cracoviensis Prior Dignissimus,
cæteris mox Te manentibus fastigijs, ut nullus honor sit in Au-
gustiniana Repub: à quo tu non honoreris, nulla prærogativa,
quæ Tibi suum prærogaret gradum, nulla dignitas quæ non
Te dignari meditetur. Qualem Te spectavit vibranti palpe-
brâ, gentilitia Metropolis illius, ad valvas excubans Aquila?
satis dicere est, quia non degenerem Te judicavit pullum, qui
irretortô oculô, Solem non occiduæ gloriæ Almam inspicie-
bas Academiam, quæ licet, Serenissimorum Poloniæ Regum
insignita Sceptris, satis ab innumeris annis splendoris habuit,
nunquàm tamen Illustrior sibi visa est, priùsquam Tuo subti-
lisantis rationis illustraretur lumine; ob quod Regalia Sceptra
Ejus Tuis submittebantur plãtis, coronam redimiendo Capiti
Tuo non denegantia. Sed extra hanc debebatur Tibi & alia
intra viscera AVGVSTINIANI Regni longè obligatior, qui
cunctorum hujus Regni incolarum desideria coronabas. Cun-
cta inibi Regiô digna nomine perpetrasti, qui Trajano parem
in imperando clementiam, Gratiano non absimilem in fovẽ-
dis filijs affectum, Iulio adæquandam in dirigendo prudenti-
am, gessisti, observasti, prætetulisti. Studium Philosophico
Theologicum Eidem incorporatum Conventui, plurima sup-
peditata recepit a Te gratiarum media, ex quibus in forma gra-
titudinis, æviternæ Panegyris formavit Tibi syllogismos. Nõ
absq; secreto gentilitias Metropolis illius subintrâsti Valvas, ex
illis namq; ad majora capessenda amoris & honoris incremen-
ta, porta Tibi efficietur triumphalis. Sic NARCISSVS penes
Regalia Sceptra benè promovendo assvetus Regimini, quam-
vis ultrici scelerum Reginæ, Tribunalitiæ in consortium datur
Themidi (Prior Lublinensis) Ipse tamen non ultor sed excul-

tor defectus Subditorum. Dùm Te Divi Cælites ad ponderantem Iustitiæ libram statuere, bonis Avibus nostrâ ferri fortunam affirmamus. Multis ab annis cupidò optabamus anhelitu, ut tandem aliquando æquâ lance, Authoritatis Tuæ immensum libraremus pondus, & ecce causavere Superi, ut ad Sacræ Themidos dipendium, Tuam ponderemus Magnitudinem. Neque solùm hæc unica Tecum nobis exstat actio; ante Sanctum & Iustum Tribunal venisti, mox nostram attentabimus causam, ac nostras Iudicio explicabimus prætensiones: Probè scivisti quantis Te dilectionis invinculavit fascibus Iagellonico-Academic⁹ manipul⁹ sub dato condicto, ut nūquam illius subterfugeres cōsortiū? Tu nihilomin⁹ immemor obligationis juratæ, aliorum Te reddis commertio! Certus fuisti, quam numerosa Conventus Metropolis ejusdem, non derelictionis contraxisti debita? tot creditores, quotquot Tui amatores concernens, in quorum fidem proprium fraudis nesciū pectus, exaratum, veluti certificationis dedisti paginam? attamen sine præmissa quietatione, alteri illaberis Regioni! Heu quàm festinans Metropolis illius Aquila expansis petitionis suæ alis, ad ipsas usque Lublinenses portas insequebatur tot laborum defessum æstibus sub umbram invitans alarum suarum! Tu verò quasi non ejusdem pullus Aquilæ, renunciasti, aliū sibi inquisiturus nidum? Nefas est! actum de Te ò NARCISSE! Iudiciaria nos pacificet stuba. Nec inefficaci potita fine attentata Causa nostra, dum per unicum fermè temporis instans, ab universis Iudiciariæ stubæ Deputatis, stricto charitatis ligatus vinculò, ad imam cordati amoris POTOCCIus destinatur turrim. At non solùm in Augustis Iudiciorum stubis, dignus charitatis vinculò POTOCCIVS, verum etiam in Sacratis Altissimo Numini Conventùs Lublinensis penetralibus. Copiosos Vitkoviensis Basilica à POTOCCIO derivavit in se liberalitatis torrentes, sed his n̄ contentus, uberiore sinu Lublinensi stillat alveos, cujus inanimata altaria vivo pro Te perorabunt spiritu, nec unquam deficient, cum Tuis sint animata gratijs. Sacri parietes, in plana sui superficie planum, & laudis plenum monstrabunt Orbi NARCISSI Nomen, cētrosa Sacrarij illius pavimenta, determinatum Tibi negabūt honoris centrum, ut ultrà & ultra enitaris ad altiora, Sanctu-

arij

arij Ejusdem Colossi in sui verticibus, statuent Avitam SOLEATAM CRVCEM, omnibus adorandam, cunctis amplectendam, singulis exosculandam. Postquam Cor Majestatis Regalis subintrasti Varsaviam, non sine eminenti Virtutum Majestate, non sine concomitante rectefactorum assistentia, non absq; pretiosissimo omnigenæ honestatis ornamento Prior Dignissimus illius Conventus es receptus. Vt verò inspexere Te Metropolis illius Syrenes, corda hominum sopienti concentu gratissimum Tibi cecinere salve, ut potè Illi, qui nō scyllarum latrantium, non charybdum insultantium revereris impetus, sola commoda Subditorum sibi respiciens; cecinere inquam, hoc suavissimo cantu inaugurantes, in Tuo Regiminis tractu cuncta prospera eventura, tanquàm ab Eo, qui omni faustitatis titulo Felicianus alter videbaris. Ante singula Tui Regiminis præliminaria, dùm bellè Filiorum cordibus, amorem DEI ac proximi irradicasti, Temetipsum, ideam morum, sinceritatis compendium, sanctitatis exemplar, sacrarium humilitatis, speculum mansvetudinis, animam Religionis, vigorem temperantiæ, sectamen observantiæ, methodum benevolentiæ, Authenticon rectitudinis, portam honestatis, Virtutum Capitolium, modestiæ reclinatorium, contemplationis motivum, penetrale Iustitiæ, Icona pietatis, rytractum misericordiæ, oculis ac obtutibus totius posuisti Familiæ. Dùm Te innumeris distractū curis Sacra illius Conventûs Familia, oculis non menti subtractum videret, imaginativam Tui semper repræsentabat ideam, in singulis sectandam actionibus, in ullis non declinandam negotijs, quam adeò suæ impresserat memorativæ, ut, sivè indulgeret Divinis, Tuam pietatis sibi desumeret normam, sivè Divinæ incumberet contemplandæ bonitati, sanctæ meditationis Tuæ præsefferret modum. Sub Tua directione, præstolantium desideria Filiorum optatò gaudebāt effectu, petentium submissiones desideratò sortiebantur bonò, expectantium promissiones, replebantur immēsitate compromissæ gratiæ. Tumuit quondam ultimus ex Scionibus scipio, & Patriò contentus honore, nihil addens gloriæ Rectefactorū Genitoris, ad coram Romanæ dicebat Reipubl: non jam sufficere honoris subselia, quibus ille non sufficeret, cum ad decorandum Scipionem, una aliteri præriperet palmam dignitati. Nisi innata mens humilis denegaret Tibi, gloriari congruentius posses, etiam ultimò scipione major Scipio, quem fa-

stigia-

ſtigiati honorum gradus, dum Sigillatim honorare nequeunt, principaliter omnes in Tui devolvuntur ſinum, ne iniuſtam ſibi habeant notam, quia faſtigia dignitatis excedentem NARCISSVM, Satis non decorarunt, cùm tamen multùm decorentur ab illo. En video, patet Tibi honorum Capitolium, hiat dignitatum porta triumphalis, ſtant reſerata omnis eminentiæ Auguſtalia, etiam ultrò promotionem oblatura, quamvis recuſares. Pro auro inſcribendis, argento inſculpendis magnitudinis Tuæ exemplaribus, dignum Te judicarunt Capita, ut terræ auro, ac argento mananti redderens, Prior Convet. Ilkuſſienſis. At NARCISSE velocius mihi feſſis Viribus TVIS peremitte aliquantum dulcis quietis, mox enim ad Te Patrem Patriæ univerſum convolabit AVGVSTINI Reipubl: Corpus, ut aliquid de Tuis gratiæ poſſit cõmunicare metallis. Collige in tot laborũ anfractibus diſperſas vires, illicò nãq; Digniſſimi Provincialium Comitiorũ Aſſeſſores appropiabunt, ut ſub Tua Paterna dextera, auxiliarem Boni Publici opportunis queant porrigere manum. Benè eſt: appropient celeriùs, convolent ocyus, non recuſabit NARCISSVS, pro Bono Publico etiam inter agmina hoſtium cum Decio ruere paratus, modò ſalvam reſtituat Rempubl: Non renuntiabit amans Patriæ Ageſilaus, ad eviſcerationem quoque ultimam, tueri Publica, modò ſuis cõmodis gaudeat ſparta. Factumq; eſt ut univerſa AVGVSTINIANÆ Reipubl: Corporis membra, in omnigenis commodis, ſufficienter prævifis apportunis, non jam ex in viſcerata Ilcuſſienſis terræ metallorum maſſa, ſed ex conquiſitis NARCISSI induſtriâ ſumptibus, benè ſuæ conſulendo Patriæ, ſub Paterna Ejus dextera, ſuum peregiſſent negotium. O nullis unquàm obliterandam ſæculis benevolentiam! o munificam dexterã albo perennitatis notandam calculô! o infinita NARCISSI merita in Rempubl: AVGVSTINI. Cùm regratificandis Ejus gratijs, non Te parem videas AVGVSTINI Familia, quônam remunerabis? niſi unicô in Te Tuiſq; Succeſſoribus æternùm perennante affectu. Diſcite ſæcula, ſi quem amantiorẽ Patriæ, avidiorẽ, Publici commodi vidiſtis vel auſcultaſtis! diſcite! quomodo nõ Coclites, nõ Fabij, non Epaminondæ, nõ Caſſij, non Petronij, nõ Trivalles, non Theſiphori, non Pelopoidæ, non Diogenes Syracuſani, ſimilem amoris Patriæ dãt NARCISSO æqualitatem, qui tamen, non ſolo amore Patriæ, ſed omni quà par eſt titulô, Maximis etiam adæquari poteſt. Eximio

Eximiô olim Patri Magiſtro GRABINSKI PROVINCIALI in Secretarium delegatus, non unquàm dignoſci poterat gereretne Perſonam Secretarij, an Provincialis, adeò ut quoquò ſocorum ſe exhibuerit, pro Epheſtione Alexander reputaretur, non unquàm tamen erravit, quiſquis in Epheſtione Alexandrũ adoravit, nam & hic Alexander erat, par magnitudine, correſpondens virtute, adæquans dexteritate. Senarium Magiſtrorum Provinciæ numerum haud memoro! in quo receptus cardo Ejus haberis in præſentem uſq; diẽ. Digniſſimus Diffinitor aut Viſitator Ejus quoties deſtinabaris, toties Tuis innixa humeris, procul omni videbàtur periculô, ac inſcia fuit omnis ruinæ. Aſt gaudet hucuſq; hiſce privilegijs, tantiſper indefeſſô Ejus incumbens Brachio; inter fortunatas, quaſi ſola fortunatior, inter venerandas, quaſi ſola Venerabilior, inter perẽnaturas, quaſi ſola perennior, inter ſtabilitas, quaſi ſola ſtabilior, bajulante Succollatore NARCISSO. Sed hæc quæ Nos maxima mirabamur honorum faſtigia, præliminaria Tibi fuère ac penè diſpoſiti gradus ad majora & digniora capeſſenda. Liberis votorum ſuffragijs, unanimi Electorum animo, ac nemine contradicente, poſt illas præluſiones non poſſeſſiones Honorũ, in coronidem meritorum, plauſibiliter, ſolenniſſimè, ac fortunatiſſimè PRIOR PROVINCIALIS declamaris. Iò triumphe! Quibuſnam immoraris plagis buccinatrix gloriæ fama! quibus te dediſti Orbis Trionibus? videſnè quantâ NARCISSVS refloruit magnitudinis auge! regredere, regredere ac Illius denuntia magnitudinem. Dicito Orienti! ſub NARCISSI regimine, AVGVSTINI Familiæ in dies orituram gloriam; dicito occidenti! AVGVSTINI Familiam non unquàm occiduum honoris ſibi polliceri mane; dicito meridiei! AVGVSTINI Familiam Orbi & Aſtris meridionali dignitatis ſemper affulſuram ſplendore; dicito Septemtrioni! non unquàm adverſitatis aut iniquæ ſortis poſſe experiri Æoliam, dùm ſol honorum NARCISSVS in ſphærico Provincialis eminẽtiæ gradu, ſerenam ſiſtit faciem. Tantum Tuæ confidebat magnitudini à primis etiam Provincialatûs incæptivis AVGVSTINI Familia, ut etiam ipſorumet Aſtrorum iniquam ſperneret ſortem; tantum audebat in vigore ſummæ Virtutis Tuæ, ut ipſas Elemẽtorum deſpiceret cauſalitates, in TE Vnico cuncta repertura. Et meritò hujuſmodi de Te judicavit, quæ poſthàc in Tuo regimine oculis attrectavit; cuncta adverſa ludẽtis Deæ jacula,

 in *No-*

in *Nomine* CRVCIS TVÆ ad ultimam Orbis repressa Thule; cuncta fortunatissima SOLEÆ TVÆ indagata vestigio. Nullum non momentum Tui erat Regiminis, in cujus spatio Publici commodi non regeres negotia; nulla non hora, quæ gratioso in providendis Filiorum necessarijs, non deberet adscribi anno; nulla non dies, quæ sereno liberalitatis Tuæ nō deberetur ortui; nullus non annus, in cujus elapsu dignæ exolutionis Officij Tui AVGVSTINIANÆ Reipubl: non dedisses tributum. Ideoq; fæudatarios Tibi, ac nutui obediētes singulos agnovisti, quia fæudum Officij Tui dignè exolvebas. Si quæ, Boni Publici commodis à Te desumpta dies, solitam filijs, in elargiendis necessarijs, non absolvisset legalitatem, cum Vespasiano summo conficiebaris dolore, ab imis Cordis Tui ingemiscens visceribus: *heu diem perdidimus.* Tui ipsiusmet oblitus, in commune totus ac totus effundebaris bonum, ipse Tibi deesse visus, qui cunctis præsens gratiâ fuisti, Ipse nō Tu' reputatus, qui noster fuisti. Ac tandē cùm Vniversam Reipu: molem *Germani Fratris Tui* reddidisti succulationi, cum summo planctu ac mærore Filiorum, Prior Brestensis ordinaris. Inibi quātò Virtutis fulsisti lumine! Soli Iustitiæ perquàm clarum, quantâ exuberabas mansvetudine! Agno māsvetissimò satis revelatum; quantâ abundabas justitia! soli ponderatum Themidi; quantam animi præferres magnitudinem! Svetico notum Leoni, cujus impetibus TE invincibilem, invasionib' fortissimum, oppressioni Heroem in defendenda Familia præbuisti, opposuisti, demonstrâsti. Sed præter omnia illud unicum vix non majus omnibus, millenis exadorandum Panegyribus, innumeris adscribendum Synopsib', illud nempe: quod nunc, post exspirium nocivæ mortalitatis, fortunæ simul & vitæ exanimantis spiritum, ab infestantibus quoque hinc inde malorum prædonibus, destitutam necessarijs ad peragenda sua Comitia PROVINCIAM, in Sinum Paternæ protectionis & providentiæ recepisti, ac penè spoliatam, investiturâ munificentiæ adornâsti; id ipsum in hunc ordinans finem, vt qui Pater Patriæ pridem esse didicisti, Pater esse non dissvescas. Pro his Magnitudinis Tuæ FLORIBVS, pro Virtutum FRVCTIBVS, pro Redolente Meriti ODORE, Vide? quantum Tibi AVGVSTINI FAMILIA dat pretium, quanta sculpit Æternitatis gloriæ Memnosyna!



PRÆFATIO LYRICA.

PAlmis & armis æmulus Herculis,
Virtutis altæ Theseus armiger,
Mirtina quærens musta velox,
Trans Dedali properavit aulam.
Quam cùm locatam sub labyrintheis
Audisset antris, totus in auribus
Perplexa currit per locorum,
Mirtineum cupiens odorem.
Et sic remotè dissitus ampliùs
Plùsquàm trecentis passibus, ambigit
Se vertat in quanam viarum,
Tramitibus stipulatus vltrò.
Tandemq; stertens noctivagus ceù
Lamenta cordis congeminat sibi,
Et poscit ut dextrâ Tonantis
Se valeat liberare casu.
Miserta casus sat miserabilis,
Regalis ortùs Filia, Theseum
Nè perdat errantem per antra
Rectificans Ariadna salvat.
Expertus olim quæ sibi Theseus,
Timenda sunt hæc nunc etiam mihi!
Odorem nè Tuum perquirens
In meritis probitate, sistam.
Ignarus, anceps, penèq; nescius,
In quæ viarum me modò conferam,
Quodsi dicabo laudis altæ
Vestigijs meritisq; passus.
NARCISSE *virtus dicito quid* TVA?
Æquanda summis Numinibus propè.
Quid facta cæli digna laude
Perpetuis numeranda sæclis?
Anfractus an non sunt labyrinthei?
Quos multa cingit semita gloriæ,
POTOCCIORVM *trita passu,*
Calcaneo SOLEÆ *repressa;*

F Po

Per hanc cucurrit celsius omnibus
Honoris ingens fastigium, decus,
NARCISSVS: haud linquendo signa
Vestigij, calamo sequaci.
Heu quot sequuntur laudis adoreæ!
NARCISSE passus vix numerabiles
Majestuosæ mentis in TE
Assiduâ residentis horâ!
Nituntur heu quot! præconijs Tuum
Efferre Nomen celsa sub æthera
Æquando summis & probatis,
Laude procul Genijs remotis,
In illa sed non abdita passuum
Venire possunt, nota POTOCCIIS,
Occulta multùm sed trecentis
Sectaneis SOLEÆ decoræ.
Hinc si trecenti, par nequeunt dare
A TE peractis, sequito passibus,
Fac parce si fors deviabo
Cum Theseo vagabundus acsi.
Audebo prorsus nùnc animosius
Sequi triumphans vestigium TVI,
Magnamq; Virtutem requiram,
Et meritum redolens odore.
Erroris autem casus ad ultimos,
POTOCCIORVM CRVX mihi prodromam
Se monstret, ac ostendat ansam
Vt moderans ariadna quondam.
Nunc nunc Poësis, quæ pedibus TVIS
Metiris inter Carmina semitam,
Attende quæ vel quanta tento!
Et pedibus faveas eisdem.
Aut Tu Deorum Frons, Cybeleia
Conjunx Saturni vecta leonibus,
Subsiste prensans frena, currum
Quadrijugum tribuas petenti.
Ibo remotô concelerans pede,
Excelsa curram quamvis ad æthera,
NARCISSE quo me ducet in TE
Summus ODOR probitatis, ibo.

Sum

Sum certus haud quòd stertat in abditis
Majestuosæ lux Sapientiæ:
Virtute quam magnâ ferebas,
Fersq; modò, superando cunctos;
Ast celsa per quàm prominet altius
Et fulget ut Sol, plenaq; Cynthia,
Splendore per mistum nitorem
Syderibus mutuans coruscum.
Accensa nunquàm conlatitat diu
Lucerna, sed mox spirat in æthera:
Tu Nostra cum sis Fax refulgens,
Æthercam resides ad arcem;
Et sparsus amplè sub redolens ODOR
Inclusus arctis sit penetralibus,
Quærendo sui centrum meatu,
Ille tamen citius vaporat.
NARCISSE cum sis FLOS redolens bonis,
Cælos ad ipsos, dotibus indolis,
Arctare TE non ulla claudens
Penna potest; quia summa spiras.
Exindè noscas propositum mei,
Cælestis es quòd totus in actibus,
Non scrutor orchestram per Orbis
Cælicolis TVA nota gesta,
Quæ clara monstrat, Maximus omnium
Præses Deorum: tùmq; perennibus
Præsentat annis ac diebus,
Vt vigeat TVA Fama semper!
Et Sacra Magna Regia Palladi
Referta sertis, in parietibus
Suismet TE notavit dignè,
In gremio situans scientum.
Majora dicam! si veniam dabis
Plùs ultrà Magnis, Major & altior
NARCISSE prudentùm nitescens
Gemma, Boni pretij, valoris.
Dixêre summum, Numina, Cælitum
Mandasse dictis id sibi seriò,
Dies per, lustra per, momenta,
Vt renovent TVA laude facta;

 Desi-

Desistat & si, Cælitibus Dijs
Indicta laudis Tui renovatio,
Narrabit ævum, tùm loquetur
Posteritas bona gesta vitæ,
Loquentur imò pectora, quæ TVVM
Portant honorem, ne ruat ocijus,
Semperq; Virtutem perennem
Cordaneis tabulis ferent in.
Hæc hæc debentur cuncta POTOCCIO,
Qui tot peractis sæpè laboribus
Intendit, & patrat recentes,
Hos reputans, quasi lucis umbram.
Quòd si liceret vel curiosiùs
Narranda plusquàm, dicere singula,
Quibus TE sæcla complevêre,
Tempora deficerent, diesq;.
Hinc Roma Tanti conscia Nominis,
Hæc vota dixit: vivito faustius
POTOCCIORVM Splendor ingens,
Atq; decus SOLEÆ CRVCISq;,
Impleta lustris vivito sæcula,
Ignara casûs vivito tempora,
A corde quæ poscis, teneto,
Omnigenô radies honore.
Quos ut faventi Maximus omnium
Triumphos dextrâ firmet, & ampliet,
Propensa multùm Corda Nostra,
Hos cumulant geminantq; plausus.
Præclara Vestræ CRVX Domus inclytæ
Semper coruscis splendeat ignibus,
Accendet illi quos perennans
Posteritas stimulata factis.
Hæc CRVX Tuorum prævia passuum
Ceu Stella fulgens, se TIBI prodromam.
Demonstret ad ducens curules
Vestigijs SOLEA repressis.
Quodcunque Romæ fastigium datur,
In TE revolvant optima Numina,
Tiaras, & galeros donô
Quantotiùs tribuant rubentes
Nihilq; restet fastigij, gradûs,
Quò non feraris summus ad æthera
NARCISSE Magni FLOS ODORIS
In MERITIS, PROBITATE
FRAGRANS.

AVGVSTINIANVS ORDO

SVO CONFRATRI
ÆVITERNÆ GLORIÆ VIGOR
INDEFFICIENTIS SCIENTIÆ RADIX.
BENE SENSATÆ RATIONIS RAMVS.
OMNIGENÆ FELICITATIS VIRIDARIVM
FAVSTIS SVCCESSuũ VITIBVS PLANTATũ & Radicatũ,
INIQVÆ SORTIS EXCLVDENDIS ARVIS DESTITVTũ.
VIRENTIS SANCTIMONIÆ FLOS

NARCISSVS POTOCCIVS.

Ex Vitæ Illius Fructu, nullum malum carpet invidia;
ILLE ENIM
Singulis ad Exemplum,
Omnibus ad Miraculum,
Nemini ad scandalum.
In Religione hunc unicum comisit excessum,
quod singulos humilitate excesserit.
Id non adimplevit Legis,
Quod Ordinem suum Magnis adimpleverit Virtutibus.
In eo non optemperavit,
Quòd deviæ aliorum persvasioni non unquam obtẽperaverit.
Cùm singulis in singulis adæquatus
A singulis utinam in unico adæquandus!
GENTILITIÆ CRVCI
Assentationis ornamenta, Falsitatis apparatus,
sciens non quadrare, Candidum non simulatum
Se præstando, monstravit; monstrando præstitit.
In bono, singulos sectans, in malo cunctos rectificans.
Ab intaminato Iuventutis flore, intactus FLOS
DEO DICATVS.
Non in postura, ast in cordis Clausura
SANCTIMONIAM REPRÆSENTANS,
Non tam annorum astantiâ, quàm stabilitatis constantiâ
PERFECTIONEM FVNDANS,
Non in dierum plenitudine, verùm in virtutum amplitudine
VITAM AGENS RELIGIOSI;
ob quod immarcescibilis manet
NARCISSVM CORONA.

PROVINCIA SVO PROVINCIALI

ROSETTVM AVGVSTINI

Ludentis DEÆ non accrescens Zizanijs,

Expers spinosi aculei, molestiæ, & ærumnarum,

sub HORTVLANO PROVINCIÆ


NARCISSO POTOCCIO.

Qui sine fastu gravis, sine remorsu beneficus.
Ætatum, Hominum, & Orbis, Prodigium atq; stupor.
Quàm dignè & Sanctè ad Provincialatum devenerit,
ex Vestigio DOMVS CRVCE Signatò collige,
Quàm stabiliter gesserit, ex SOLEA conijce.
Super candelabrum exempli, Familiæ positus,
& Ceris Avitis fulsit, & virtutibus.
VIR GENERE CLARUS, HONORE PROVINCIALIS,
DOMO POTOCCIVS.

Fide, Religione, & Bonitate,
Provinciæ, Dijs, Familiæ Probatissimus.

Quò magis ascendebat, excelsior,
Quò plùs umbram petebat, illustrior,
Quò frequentius evitabat, curulium vicior
Factus, Redditus, Constitutus.
In adversa Prior, in fausta ultimus.
Vixit Bono Publico, Sibi moribundus.
Invigilavit Familiæ commodis, sui commodi nescius.
Præfuit, præestq; suis Subditis Ipse Sibi non liber
à vinculis charitatis, a fascijs dilectionis
ut potè veri Nominis

PROVINCIALIS.



PRO-

A5

PROVINCIA Suo EXPROVINCIALI

Da planctus spongiam EXPROVINCIALI,
Quæ dedisti Vas lætitiæ, Cor hilare PROVINCIALI
NARCISSO POTOCCIO
AVGVSTINIANA SOBOLES!
En Ille! Qui suæ vestigiò SOLEÆ
Errabundos in recti duxit tramitem,
Virgam directionis reponit!
En Ille! à Cujus CRVCE Sanctum habebatur Regimen,
Non jam regit jussis, sed humilitate regitur,
Dùm ultrò renuntiat Sceptris!
Da mærorem! quæ conservationem dedisti.
Cùm dignus & sufficiens reputatus fuerit,

Quem exoptent populi,
Quem poscant Tiaræ,
Quem ambiant Fasces,
Non exoptat,
Non poscit,
Non ambit
Regimen, Tiaras, atq; Fasces.

MIRARE!
A faustis & in fausta,
A prosperis ad adversa,
A fortunata ad iniquam sortem
TVVS quinam sit descensus,
Dùm ab altis ad ima descendit,

NARCISSVS.

Vel ideò Altum Honoris meriturus gradum
quia fugit eundem.



MAjora Tu obligâſti NOMINI Tuo memnoſyna, illa ſcilicet: ut Te ſuper exedras zeloſisſimum, ſuper cathedras, eloquentisſimum, ſuper pulpita penetrativum, ſuper Bibliothecas ſubtilisſimū inſcriberemus, ſed quia hæc æternantis Tuæ gloriæ inſcripta ſunt calculô, temporaneis non juſtùm duximus mandare paginis. Et quanquam plùs ultrò & ultrò occurrant in faciem à Te peracta laudabilia geſta, non vnquam in veſtiganda calamo facinora, dignè celebrari neſcia Indolis Tuæ magnalia, ea cordetenùs reſervamus, id unicum cum ſubmiſſa NOMINIS TVI adoratione Orbe corā revelantes, quòd FRAGRANTI VIRTVTIS & MERITI ODORE redolens ſis

NARCISSVS.

